

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2088

Auteur(s) : Thomas de l'Épinei [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Roger du Martrey [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1253, novembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Thomas de l'Épinei, chevalier, vend à Roger du Martrey les droits héréditaires qu'il pouvait avoir dans la paroisse de Notre-Dame de Louviers, par suite de la mort de Jean de l'Épinei, son père, chevalier, au prix de quatre-vingts livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXCVII, p. 235-236.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego, Thomas de Spineto, miles, vendidi et omnino dereliqui et hac presenti carta confirmavi Rogero del Martroi et suis heredibus totum illud integre quod habebam et hereditario jure possidebam in tota parrochia Beate Marie de Locoveris, quod accidit michi a domino Johanne de Spineto, milite, patre meo, scilicet in terris, redditibus, hominibus, releveis, auxiliis, libertatibus et in omnibus aliis rebus et etiam in aliis omnibus que in predicta parrochia possunt michi excidere, maxime in cunctis locis hic inferius subscriptis et annotatis, scilicet : in domibus et masuris sitis in la Poterie, inter masuram Milonis de la Poterie, ex una parte, et masuram Richardi Tuebuef de Moncello, ex alia parte ; et ad Maurepast, inter masuram que fuit Oberti Poret, ex una parte, et masuram que fuit Emeline Elinant, ex altera parte ; et in vico Croth, inter masuram Emeline Elinant predictae, ex una parte, et masuram Durandi Rufi, ex altera parte, scilicet in una parte vici predicti, et in alia parte ipsius vici inter masuram Johannis le Tainturier, ex una parte, et masuram Johannis Bernart, ex alia parte ; et le Sorgnet et masuras sitas versus vicum ante ecclesiam beate Marie ; et ante halas, inter masuram Guifridi Walicier et magnam domum que fuit Bernardi Anglici ; et duas masuras sitas in vico Sancti Germani que tenentur de Waltero Chisnaie et de suis heredibus et in unam peciam terre sitam juxta terram Walteri de Monasterio ; et in alia pecia terre sita inter viam de Quatremares et la Renge et abutat ex utraque parte ad terras Sancti Taurini ; et in alia pecia terre sita apud la Vacerie quam Nicholaus Bestenc tenet ; et in alia pecia terre quam Willelmus Mal Levant tenet ; et in aliis peciis terre sitis super ortum Milonis de la Poterie et ortum Eustacii Lasnier ; et alia omnia quecumque et ubicumque poterunt sciri et inveniri in tota predicta parrochia de Locoveris, pro octoginta libris turonensibus, michi pre manibus in pecunia numerata bono et legitima persolutis, et pro duodecim solidis turonensibus annui redditus quos ego capiam et mei heredes super masuram Johannis Escarbote, sitam juxta masuram Petri le Telier, annuatim ad festum sancti Remigii.

Et ego et mei heredes poterimus facere plenam justiciam in predicta masura, si necesse fuerit, pro redditu nostro supradicto duodecim solidorum Turonensium. Et poterit de cetero predictus Rogerus et sui heredes de predictis omnibus sicut de suo proprio hereditagio suam facere penitus voluntatem, sine contradictione vel impedimento mei vel alterius, salvo jure domini capitalis.

Et ego prenominatus Thomas, miles, et mei heredes nichil omnino in hiis que supra dicta sunt retinemus ; immo fide media tenemur predicta omnia predicto Rogero et suis heredibus contra omnes defendere et garantizare, vel alibi in nostro proprio hereditagio, si necesse fuerit, valore ad valorem excambiare. Et ita possidebit de cetero predictus Rogerus et sui heredes predicta omnia, bene et in pace, et libere et hereditario jure et sicut dominus in omnibus locis supradictis sine contradictione aliqua, si necesse fuerit, plenam justiciam facere.

In cujus rei testimonium et munimen, ego prenominatus Thomas, miles, presenti carte sigillum meum apposui.

Actum anno Dominice incarnationis M° CC° quinquagesimo tercio, mense novembris.

Testibus hiis : magistro Johanne de Flaievile, canonico Rothomagensi et senescallo venerabilis patris nostri et domini O., Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopi ; Johanne de Bones, custodi de Locoveris ; Radulfo le Biscauf ; Willelmo Anglico ; Richardo del Hasoi ; Michaele de Kenapevile ; Radulpho de Planceio ; Richardo Vesdie ; Alano et Herberto Sergans, et pluribus aliis.